

*stultitiam. Ægidius Candidus in Apologia no-
va doctrina sanctæ Jansenii Episcopi Iprensis
pag. 39. Nomen gratia sufficientis à falsis qui-
busdam Thomistis excogitatum est. . . . Vocari
potest nequitiâ maxima, & singularissima per-
fidia, quæ in perversione idiomatis unquam
commissa sit à tempore quo Christi stetit Eccle-
sia. D. Rivette Theologiæ apud Duacenses
Licentiatus in epistola ad amicum: Gratia,
inquit, sufficiens reddita hic est quasi necessaria:
si ad actionem, ad quam sufficiens vocatur, non
sufficiat, sufficit quodammodo, ut nos ab adver-
sariorum insidiis liberet. Quâ quidem voce utor,
quam possum rarissimè, & addendo semper soli-
citè particulam alienantem, IN SENSU THOMISTICO.*

Sic nempe Jansenistæ sequuntur illud
Christi monitum: *Sit sermo vester, est, est;
non, non*; ita æquivocationibus, & restrictio-
nibus adverstantur, aliud in praxi, & in oc-
culto, aliud in publicis contra adversarios
declamationibus sectantes. Unde licet falsi
Arnaldi factum minimè probem, fraudes is
tamen Jansenistarum callido stratagemate in
lucem protrahens, eorum sensum graphicè
expressit Theſibus à Jansenianâ factione ma-
gno encomio approbatis; ubi Theſi 2. dicitur:
*Qui gratiam aliquam sufficientem ab efficaci di-
stinctam, in hunc amissâ innocentia statum in-
vehunt, mirum quantum ab Augustini mente
deficiunt, qui natura integræ gratiam sufficientem
tantum, lapsæ verò efficacem tantum attri-
buit. Hæc si indubitata Augustini principia vel
minimum concutias, tota cælestis illius doctrina
compages solvatur, necesse est. Theſi 3. At
quid de gratia sufficiente sensu Thomistico? mi-
nimus displicet, quia, nisi hallucinari velis, particu-
lam includit alienantem, & nebuloſo tempore oc-
culendâ gratia Evangelicæ mysteriis est perido-
nea. Interim cum vox illa, & res voce expres-
sa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam
merito ex sana Theologia relegandam judicamus.*

Ubi tamen, ut in Articulis, ad fallendum
opus est, vocem gratiæ Thomisticè sufficientis
patiuntur: ajunt etiam se pati rem voce signifi-
catam; quia non sufficere, ad quod à Thomi-
stis sufficiens appellatur, existimant. Apud
Jansenistas scilicet nequaquam ea gratia suffi-
ciens impedit, quin verissimum sit, quidquid
Jansenius, quidquid Arnaldus, & Quæsnel-
lus in damnatis propositionibus affirmarunt;
talis juxta illos gratia sufficiens non suffi-
ciens, potestatem ad servanda mandata con-
stituit impossibilem: neque indicat gratiam,
cui unquam propriè, & efficaciter resistatur;
sed componit libertatem cum necessitate, in-
differentiam cum necessaria ad unum deter-
minatione: cum hac meritum, & demeritum
absque libertate indifferentiæ, Christum Sal-

vatorem omnium cum voluntate salvandi ne-
minem præter prædestinatos. Sic Palladius,
sive Ægidius Candidus prosequens Crisostomum
Conclusionem tertiam Martini Steyaert ridet
quidem miram, ut ait, & exoticam gratiam
sufficientem Thomisticam, quæ non sufficit; ta-
meti essentiam ejus, saltè quemadmodum à
Theologo nostro depingi videtur, non velimus re-
jectam, nomenclaturam tamen insigni absurdi-
tate deliram arguere non dubitamus. Mox vocat
Nuncupationem ludicram. Rem tamen
ipsam sive essentiam non vult rejici, quia to-
tius Jansenianæ hæreseos assertioni juxta Pal-
ladium nihil officit; cum ad nihil sufficiat, ad
quod sufficiens nuncupatur. Hæc lege etiam
Montaleius, sufficientis gratiæ buccinanda, Do-
minicanis, ut ait, potestatem faceret. Fortè
nec ipse Jansenius in subscribendo difficilis
foret, ut testatur lib. 3. de gratia cap. 1. his
verbis: *Quod si verò sic accipiatur, ut Sufficiens
dicatur, sicut à quibusdam dicitur, quod satis
est, ut homo dicatur posse operari, quavis aliud
adhuc necessarium sit, ut de facto operetur, de
ejusmodi sufficienti gratia non est hic nostra con-
troversia; talem enim sufficientem fortasse non
difficiliter S. Augustinus admitteret. Non verò
admitteret, inquit, illam sufficientem gratiam,
seu sufficiens adjuvium, præter quod nihil aliud
ex parte DEI per modum principii necessarium
est, ut homo velit, aut operetur.*

Ubi Janseniani confidentius inter se, &
remotis arbitris, loquuntur, non minùs li-
bertatem indifferentiæ, potestatem proxi-
mam, sensum divinum, & compositum Tho-
mistarum, quam sufficientem eorum gratiam
rident, etiam ubi quinque Articulos, veluti
ab Alexandro VII. probatos comminiscuntur.
Ita Petrus de Ligny in Professione Fidei Epi-
scopo, suatum, ut credebatur, partium num. 3.
Declaro, inquit, coram DEO, me credere, liber-
tatem indifferentiæ in statu natura corrupta,
non esse, nisi chimericam, inventum humanum,
& philosophiæ Pelagianæ reliquias. Num. 6.
Simili modo declarat coram DEO se credere,
Prædeterminationem physicam, ut in Thomista-
rum Schola explicatur, dogmatibus Augustini
prorsus esse contrariam: argumentorum quoque
solutiones, petitas à sensu composito, diviso, &
indifferentiâ judicii, esse meras cavillationes, &
tricas, quarum nullum sit in Patribus vestigi-
um. Et tamen nu. 5. provocat ad quinque Articulos
ab Alexandro VII. ut quidem ait, approbatos.
Quis modò sanæ mentis, & in præsentibus
controverſis non planè peregrinus autu-
met, quinque Articulorum professionem suf-
ficere, ut quis à damnatis in Jansenio hæresi-
bus, à Quæsnello renovatis, & iterato à Sede
Apostolica fulmine prostratis, legitimè secer-
natur?